BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA
KUL
XVI. 709

C.E. RAPPAPORT
LIBRAIRIE ANCIENNE
ROME

XVI. 709

# Jacobi Scapulenſis

introductiones in libros phiſicorū
et de aīa ariſtotelis cū Jodoci neo
portuēſis annotationibus declarā
tib⁹ cādide dicta ſingula obſcuriora ipi⁹ introductōis



# Gregorius Sthauiſchyn arciū li-beraliū magiſter ſtudij Cracouiē-ſis lectori ſalutem.

Vide humaniſſime lector quantum de republica litteraria
meritus ſit Jacobus Stapulenſis vir proculdubio ſum-
me doctrine et greci Ariſtotelis noſtro euo egregius pa-
raphraſtes. qui nō ſolū in omnes libros ipſius Ariſtotelis
philoſophorum principis edidit paraphraſim. hoc eſt eā interpretatio-
nem que nō verborum ſed ſententiarū cuſtodit ſeriem. ſed etiā rudibus
fauens penetralia philoſophie in quoſque precipuos libros introdu-
ctiones veluti quaſdā compendioſam ſemitam ad arcem ariſtotelice
philoſophie ita formauit venuſta cū breuitate vt nulli cedens cete-
ros quoſque ſuperauit. qui in ſimili materia libellos aliquando publi
cabant. quod quidē ita eſſe cū in pleriſque alijs ipſius ſcriptis poteris co-
gnoſcere. tum et in his introductionibus noſtra cura impreſſis facile
iudicabis ſi ſolercius inſpexeris. quam ſit breuis: qualiter terſus. quomo
do ſuccinctus. et inſuper venuſtus. vt in ornatu verborum cum anti-
quitate certare videatur. Taceo nunc reliqua que iure optimo pro
laude autoris et operis predicari poſſent. niſi de laudibus tanti vi-
ri eligibilius crederem tacendum quam minus ſufficienter loqui. Unum
hoc tue ſolercie propono quiſquis es qui peritus in ſtudio philoſophie
eſſe cupis. quiue recto tramite introire aulam deſideras mere philo-
ſophie. illius inquam que gottica labe non ſentitur eſſe infecta hoc
formoſum Stapulenſis noſtri munus ne contemnas. Magnam ete-
nim dignitatem et vim habent recta rudimenta arcium. vt Quintili-
anus libro ſecundo perpulchre probat. et Thimothei muſici olim in
arte tibiarum clariſſimi exemplo confirmat. hūc enim tradidit dupli-
ces ab his exigere mercedes quos alius inſtituiſſet quam ſi rudes ſibi
traditi eſſent. Obſtant etenim nōnunquam magis inepte eruditiones quam
proſunt. Sicque natura tenaciſſimi ſumus eorum que rudibus animis per-
cipimus. vt ſapor quo nouas imbuas teſtas durat. nec lanarū colo-
res quibus ſimplex ille candor mutatus eſt elui poſſunt. Optime igi-
tur conſultū erit et docenti et diſcenti. vt Stapulenſis iſtā introducti-
onem amplectantur. Ita nanque ille pie et recte docebit. et hic non er-
ronee inſtituetur. Uale mi lector. Et has introductiones ſagaci mi-
nerua rogo trutines.

XVI. 709
BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA KUL
89/705/155 d



# Introductoriū Stapuleñ in phi ſicam Ariſtotelis.

NAtura eſt ſubſtantiale principiū qđ vnicuiqꝫ tranſ
mutationi ſubiectū eſſe natū eſt: aut tranſmutatio
nis effectiuū: ¶ Materia eſt natura que vnicuiqꝫ
tranſmutationi ſubiecta eſſe nata eſt. ¶ Mate-
ria: ſubiectū: bile: potentia. potentia ſubiectiua. ¶ Forma eſt
natura tranſmutationū effectiua. ¶ Forma: ſpecies: terminus
actus: actus primus ſubſtātialis. ¶ Principia ſunt que cum nō
ſint ex alijs: neqꝫ ex alterutris. ex ipſis omīa alia fiunt: omīa alia
res naturales omēs. ¶ Res autem naturalis eſt que conſtat ex
naturis. ¶ Rerū naturaliū genera ſunt: elementa: animalia: ve
hetabilia: mineralia: mixta imperfecta. Earum vͦ accidentia: cū
eis ꝯueniāt: dicunt̄ ſcđm naturā. Cū vͦ diſconueniant contra et
preter naturā. ¶ Res naturalis: totū ꝯpoſitū: corpus: ſenſibi
le: hoc aliquid.

¶ Figura introductioni phiſice prefixa mundū ſenſibilem nobis in
ſinuat. De quo quecunqꝫ in libris phiſicorum dicuntur intelligenda
ſunt. neqꝫ extranea ferenda eſt intelligentia. Eſt aūt mūdus ſenſibilis
rerū que intra cōcauū celi lune cōtinent̄ vniuerſitas. Primus circu-
lus ceteros ambigens deſignat cōcauū celi. id eſt interiorē extremā
qꝫ celi lune ſuperficiē igni ꝓximā. Spaciū interceptū inter p̄mū cir-
culū ⁊ ſecūdū denotat elementū ignis. Secūdus circulus ſignificat
cōcauū ignis tangens aerem. Spaciū ſecundo ⁊ tercio circulo clau-
ſum ipm̄ aeris elementū deſignat. Tercius circulus cōcauū eſt aeris
tangens aquā ſi elementa ſcđm naturalē ſitū diſponerent̄: quo aqua
totā terrā operiret. Verū vt viuentiū ſaluti cōſolat̄ vna pars dete-
cta eſt ⁊ aeri ꝓxima. quare cōcauū aeris nūc partim quidem aquā ⁊
partim terrā tangit. Deniqꝫ ſpaciū tercio ⁊ quarto cōtentum circulo
elementū aque deſignat. Quartus vͦ circulus cōcauū aque eſt tan-
gens terrā. Terra aūt infima nō claudit alia elementa ſuo ambitu.
ſed ſubſidet omībus. Et his quattuor elementis itidem cōtinentur



corpora naturalia mixta. vt mineralia in terre viſceribus. vegetabi
lia partim terra ⁊ partim aere. animalia vͦ hec in aere: hec aqua et
illa terra ſubſiſtūt. ¶ Deinceps ſeptem circuli minores ordine diſpo-
ſiti ſignificāt ea que in hac introductiōe determinant̄. Et quāuis dū
taxat quattuor librorꝝ phiſicorꝝ materiā cōplecti videant̄. illis tamē
intellectis ſufficiens habet̄ in omēs phiſicorꝝ libros introductio. Et
horꝝ p̄mus quidē circulus p̄mo reſpōdet libro phiſicorꝝ. Secūdus ſecū
do. Tercius ⁊ quartus tercio. Quintus ⁊ ſextus ⁊ ſeptimus quarto.
Cuiqꝫ aūt circulo ſuū reſpōdet in introductione caput. ¶ In primo
itaqꝫ natura diuidit̄ in materiā ⁊ formā. Res aūt naturalis ibidem
ponitur ꝙ de ea illic determinet̄ vt toto ex his partibus conſtituto.
¶ In ſecūdo circulo cauſa diuidit̄ p̄mū in cauſam materialē. formalē
efficientē ⁊ finalē. Secūdo in cauſam ꝓpinquā ⁊ remotā. Tercio in
cauſam per ſe ⁊ ꝑ accidens. Quarto in cauſam actus ſiue actualē. et
in cauſam potentie ſiue potentialē. ¶ In tercio circulo motus in pri
mis diuiditur in ſex ſpecies. generationē. corruptionē. augmentatio-
nem. diminutionē. alterationē ⁊ mutationē ſcđm locū. Secūdo i mo
tū ſubiectiuū. terminatiuū ⁊ cōpletiuū. que diuiſio innuit̄ per hec vo
cabula. ſubiectū. forma. totū. Tercio in motū per ſe ⁊ motū ꝑ accidēs
Quarto in motū acquiſitiuū ⁊ deperditiuū. Quinto in motū natura
lem. violentū ⁊ indifferentē. ¶ In quarto deinde circulo infinitū di-
ducitur in infinitū p̄mo modo ſiue in p̄ma acceptiōe. ſecundo. tercio
quarto ⁊ q̄nto modo. Spherula vͦ nigra ſecūdo infiniti modo ad la-
tus adiuncta deſignat infinitū ſecundo in mundo ſenſibili natura nō
inueniri. ¶ In q̄nto circulo locus primo diducit̄ in locū cōmunē ⁊ ꝓ-
priū. Secundo in locū naturalē ⁊ violentū. ¶ In ſexto vacuū diuidi-
tur in vacuū primo modo. ſecundo ⁊ tercio modo. ſed nullo illorꝝ mo
dorum vacuū in mundo ſenſibili inueniri poſſe. Adiecte cuilibet mo-
do note nigre ſignificant. ¶ Demū in ſeptimo circulo diuiditur tem-
pus in preſens preteritū ⁊ futurū. ¶ Poſt diuiſionē eorꝝ que in hac
introductione cōſideranda ſunt diffinit̄ natura eſſe p̄ncipiū ſubſtātia
le. id eſt qđ eſt ſubſtātia. ad excludenda p̄ncipia accidentalia. vt cali-
ditatē ⁊ leuitatē ignis. que nō ſunt nature. ſed forme ſubſtantialis in
ſtrumēta. Et cū in ea diffiuitiōe diſiūctio ponat̄ prior particula pro-
pter materiā ponit̄. poſterior vͦ ꝓpter formā ſubſtantialē: vt vtriuſ
qꝫ ſequens diffinitio declarat. Diffinit̄ eñ mox materia per p̄mā ſupe
rioris diffinitionis particulā. ꝙ ſcilicet nata ſit eſſe ſubiecta vnicuiqꝫ
tranſmutationi. id eſt generationi. corruptioni. augmentationi. dimi
nutioni. ⁊ ita de alijs ſpeciebus. nō quidē ꝙ nata ſit illas ſimul ſu-

ſcipere. ſed viciſſim. Nempe materie officiũ eſt quãlibet in ſe trãſmu-
tationẽ indifferenter recipere, perinde atqꝫ cera cuiuſcũqꝫ figure aut
ſigilli efformationẽ in ſe ſuſcipere nata eſt. hinc materia ſubiectũ di-
citur: ⁊ potentia, paſſiua ſiue ſuſceptiua ꝙ omnes formas ⁊ ſubſtãtiales
⁊ accidentarias in ſe ſuſcipiat. Qꝫ ſi tota denominent ſubiecta. id ſo-
lũ gratia alterius partis ſcilicet materie accidit. vt ignis ſubiectuꝫ
eſt caliditatis. ⁊ aqua frigiditatis. Dicit̃ et materia ab antiquis hi-
le. ¶ Forma ꝟo ſubſtãtialis diffinit̃ eſſe natura que nata eſt trãſmuta
tiones efficere. nõ quaſlibet ſine diſcrimine. ſed ſuo toti conuenientes
haud aliter ac ſigillũ nõ quãlibet impreſſionẽ. ſed ſolũ ſibi reſpondẽtẽ
effigiat. vt forma ſubſtãtialis ignis efficit tranſmutatiões igni cõue
nientes. ⁊ forma aque mutatões aque naturales. ⁊ ita de ceteris Eſt
eñ ꝓpriũ forme officiũ agere ⁊ efficere tranſmutatiões. Proinde act⁹
dicit̃ ſiue actus ꝑmus ⁊ precipu⁹ phiſicus. qa ꝑmũ eſt ⁊ ꝑcipuũ agẽs
Accidentia aũt dicunt̃ actus ſecũdi. qa omnem agendi vim a forma
ſuſcipiunt. Dicit̃ preterea forma ſpecies ſiue terminus ꝙ materiã de
terminet deffiniatqꝫ ad certã rem naturalẽ conſtituendã. ¶ Ceterũ
qa natura diffinita eſt eſſe ꝑncipiũ. qd ꝑncipia hic dicant̃ ſequens dif
finitio declarat. tria exprimens ad phiſicoꝝ ꝑncipioꝝ rationẽ neceſſa
ria. Primũ. Pricipia phiſica nõ debẽt eſſe ex alijs ꝑncipijs. id ẽ alteri⁹
ſpeciei ⁊ nature cõpoſita. vt materia nõ cõponit̃ ex alijs diuerſe rati-
onis principijs. neqꝫ forma. Quis vtraqꝫ ex eiuſdẽ rationis partibus
componat̃. Secundũ. Principia phiſica nõ debent conſtitui ex alter-
utris. id eſt ꝑmũ nõ debet cõponi ex ſecundo. neqꝫ ſecundũ ex primo.
vt materia nõ cõponit̃ ex forma. neqꝫ forma ex materia. ¶ Tercium
ex ꝑncipijs phiſicis omnia alia fiunt. id eſt res naturales omnes nate
ſunt fieri. Omĩa eñ expetenda ſunt ſcdm materiã ſubiectã. Et q̃ vni-
uerſaliter ſonant apud autores. particulariter: vt efflagitat materia
intelligi debent. Siquidẽ omnis res naturalis ex materia ⁊ forma du
obus ꝑncipijs phiſicis cõſtat. vt oſtendit rei naturalis diffinitio. que
dicit̃ ea eſſe que cõſtat ex naturis tvtpote materia ⁊ forma ſubſtanti
ali tanqꝫ ſuis partibus eſſentialibus. Quãuis enim partes integra-
les ſint rerũ naturaliũ partes ſubſtantiales. tamen nõ ſunt nature. ne
qꝫ rerũ naturaliũ ꝑncipia. qa ſunt ex alijs ꝑncipijs ſcilicet materia et
forma partiali. ¶ Deinde enumerant̃ rerũ naturalium genera. id eſt
ſpecies. que ſunt quinqꝫ. ſcilicet elementa. ignis. aer. aqua. terra. Ani
malia. vt piſces. aues. vermes. ⁊ greſſibilia. Vegetabilia vt arbores
frutices ⁊ herbe. Mineralia. vt aurũ: argentũ: ferrũ. plũbũ mixta im



perfecta. vt pluuia ros. pruina. nix. grando. ⁊ he ſunt toteres natura
les. Quarũ quidẽ partes integrales ſiue homogenee ⁊ eiuſdem cum
toto denominationis ſiue heterogenee ⁊ diuerſe denominationis a
toto etiã res ſunt naturales. ſed partiales. vt pars ignis ⁊ radix ar-
boris. ¶ Deinde ſubiungit̃ diuiſio accidentiũ rebus naturalibus in
exiſtentiũ. ꝙ eoꝝ aliqua ſunt ſcdm naturã. alia ꝟo contra ſiue preter
naturã. Accidentia ſcdm naturã ſunt que rebus naturalibus conue
unt. Illa ꝟo eis cõueniunt que ipas cõſeruare nata ſunt. vt caliditas
⁊ leuitas ignis ſcdꝫ naturã conuenit. frigiditas ꝟo ⁊ grauitas aque
Accidentia preter naturã ſunt que rebus naturalibus diſconueniunt
⁊ eas corrũpere nata ſunt. vt aque caliditas. per quã reſoluitur ĩ va
pores. ⁊ animali egritudo qua diſponit̃ ad corruptionẽ. Itaqꝫ quic-
quid eſt in mundo ſenſibili: aut eſt natura aut res naturalis. aut eius
accidens. Poſtremũ ponit̃ interpretatio rei naturalis. que alio noĩe
dicit̃ totũ ⁊ cõpoſitũ. habita ratione ad ſuas partes. dicit̃ ⁊ corp⁹ ſen
ſibile ꝙ ſubſtantia completa ſit in mundo ſenſibili conſiſtens. Deniqꝫ
res naturalis dicit̃ hoc aliquid. id eſt tota ſubſtãtia indiuidua. ⁊ vna
numero.

¶ Cauſa eſt ad quã aliquid ſequit̃. ¶ Ad eam ꝟo aliquid ſequi
eſt ex ea. per eam: ab ea. aut eius gratia aliquid fieri. ¶ Quod ve
ro ad eam ſequitur effectus nominat̃. ¶ Cauſa materialis ꝑmo
eſt ex qua cum aliquo fit aliquid. ¶ Rerũ ꝟo naturaliũ materia
eſt ex qua cũ forma fit cõpoſitũ. Secũdo eſt in qua aliquid fit vt
in ſubiecto. ¶ Cauſa materialis ſecundo in qua ſubiectiua.
¶ Cauſa formalis eſt per quam res habet eſſe. Nam dat eſſe rei
⁊ eam conſeruat ineſſe. Ipſa nanqꝫ preſente res eſt. ⁊ ipa fugiente
perit. ¶ Rerũ ꝟo naturaliũ forma ea eſt per quam res natura-
les exiſtunt. ¶ Subſtantie accidens. ¶ Cauſa efficiẽs ẽ a qua
aliquid fit: conſeruans: producens: corrumpens. ¶ Cauſa fina-
lis eſt gratia cuius aliquid eſt. ¶ Primaria: ſecundaria. ¶ Cau
ſa propinquã eſt que particulari nomine deſignat̃. Aut inter quaꝫ
et effectũ haud multe interiacent cauſe. ¶ Remota ꝟo que no-
mine cõmuni deſignat̃: aut inter quam ⁊ effectũ multe interiacẽt
cauſe. ¶ Cauſa per ſe eſt que cum ad aliquid ſuapte natura ſit:

cauſalitatis noĩe pariter eſt expreſſa. ¶ Per accidens aũt ea di-
catur cum ad effectũ nõ ordinet᷑: aut cauſalitas noĩe minime fis
expreſſa. ¶ Caſus: fortuna: neutra. ¶ Caſus cauſa eſt per ac
cidens eorum que raro contingunt ⁊ alicuius gratia. ¶ Fortu-
na vero cauſa per accidens agentiũ ſcd̃m ꝓpoſitũ eorum que raro
eueniunt ⁊ alicuius gratia. ¶ Fors fortuna: mala fortuna.
¶ Propoſitũ: ratio: voluntas. ¶ Cauſa in actu eſt que ſimul
cum effectu exiſtit. Cauſa vero in potentia ea dicatur que nõ ſimul
cũ effectu exiſtat.

¶ Diffinitionis cauſe hec eſt intelligentia. Cauſa eſt ad quã effectus
natus eſt ſeq. hoc eſt ex qua ꝓpter materiã. per quã ꝓpt formã. vel
a qua ꝓpter efficiens. Aut cuius gratia ꝓpter finẽ aliquis effect᷒ na-
tus eſt fieri. Effectus aũt eſt qd̕ ad cauſam ſequi natuum eſt id eſt qd̕
ex ipſa fit ꝓpter effectũ materie. aut ꝑ ipſam ꝓpter effectũ forme. aut
ab ipſa propter effectum efficientis. aut gratia ipſius. propter effe-
ctum finis. Deinde vnaqueq; cauſarũ particulariter diffinitur. Et
primo cauſa materialis. que diuidit᷑ in cauſam materialez primo mo
do ſiue prima acceptione. Et in cauſam materialem ſecundo modo
⁊ in ſecunda ſignificatione de cauſa materiali primo exemplum vt la
pis eſt id ex quo cum aliquo ſcilicet figura ſtatue fit ſtatua lapidea.
Et aurum eſt id ex quo cum aliquo ſcilicet figura annuli fit annulus
Et hec ratio cõplectit᷑ omnẽ materiã ex qua. ſiue rerũ naturalium
ſiue artificialiũ. ſiue quarũcũq; alioꝝ qb᷒ materia attribuit᷑. Jdcirco
diffinit᷑ deĩde materia ex qua rerũ naturaliũ: q̄ ea ſit ex qua cũ forma
ſubſtantiali fit totũ cõpoſitũ. ſcilicet ipſa res naturalis. vt corpus ho
minis eſt ex quo cũ aĩa rationali fit homo. Cauſa aũt materialis ſe-
cũdo modo eſt in vt ĩ qua cũ ſubiecto aliquid eſt. ſiue illd̕ ſit forma ſub
ſtantialis ſiue accidentalis. Omnis eñ forma in materia eſt vt in ſuo
ſubiecto. Et eam ob rem cauſa materialis ſecundo dicitur materia
in qua ſiue materia ſubiectiua. Quocirca eadem numero materia
ſi ad rem naturalem cuius eſt pars conferat᷑. dicitur cauſa materialis
primo ⁊ materia ex qua. Et ſi ad formã ſubſtãtialem aut ad accidẽ-
tia. quarũ ipſa eſt ſubiectũ eſt cauſa materialis ſecundo ⁊ materia in
qua. ¶ De cauſa formali exẽplũ vt forma ſubſtãtialis ignis. Quia ꝑ
eã ignis habet eſſe. Dat eñ ipſa eſſe igni. ⁊ ignem ꝯſeruat in eſſe. Jpſa



nãq; forma ignis exiſtente ignis eſt. ⁊ ipſa fugiente. diſcedenteq; a
materia: perijt ignis. At qa hec cauſe formalis diffinitio dat᷑ de om-
ni cauſa formali ſiue phiſica ſiue non, idcirco ſubiũgit᷑ diffinitio for-
me rerũ naturaliũ. cuius idem qd̕ prius ſummat᷑ exemplũ. vt forma
ignis. Nam per eam res naturalis vna quidem aut plures exiſtunt
¶ Deinde ſubiuncta duo vocabula. ſubſtantia. accidens: ipſi᷒ cauſe
formalis diuiſionẽ ĩſinuãt Jn cauſaz formalẽ ſubſtãtialẽ ⁊ accidẽtalẽ
Cauſa formalis ſubſtãtialis eſt forma ꝑ quã res habet eſſe ſubſtantia
le. vt forma rerũ naturaliũ. Cauſa formalis accidentalis eſt forma ꝑ
quã res habet eſſe accidentale. vt per albedinẽ nix eſt alba ⁊ ꝑ frigi-
ditatem aqua frigida. ¶ De cauſa efficiente exemplũ vt edificator
Nam ab eo aliquid fit. id eſt natũ eſt fieri ſcilicet domus. Et a ſtatua
rio fit ſtatua. Et eſt triplex quẽadmodũ ſequentes dictiones oſten-
dunt ſcilicet conſeruans. producens ⁊ corrumpens. Cauſa efficiens
Cõſeruãs eſt a qua aliqd̕ cõſeruat᷑. vt a caliditate cõſeruat᷑ ignis. a
frigiditate aqua. Producens eſt cauſa efficiens a qua aliquid produ-
citur. vt a forma ignis gignit᷑ ignis. ⁊ a calore calor. Corrũpẽs vero eſt
a qua quicq; corrũpit᷑. vt a forma ignis corrumpitur aqua. ⁊ a calore
frigiditas. De cauſa finali exemplũ. vt ſanitas. Nam eius gratia ali
quid eſt vt exerciciũ. alimentũ. moderataq; requies. Et diuiditur in
cauſaz finalẽ primariã ⁊ ſecũdariã Cauſa finalis ꝑmaria ẽ cauſa fina
lis que vlterius in aliud nõ ordinat᷑. vt homo cõparatus ad ea q̃ ſunt
in mundo ſenſibili. Cauſa finalis ſecundaria ſiue nõ vltimata eſt cau
ſa finalis que vlterius ad aliud ordinat᷑. vt animalia rationis immu-
nia ad hoĩem. ⁊ ſanitas ad rei cõſeruationẽ. ¶ Poſtea ſubiungit᷑ diffi
nitio cauſe propinque. duas ſub diſiunctione continens particulas.
quarum prima rationem exprimendi recipit. Secunda vero condi-
tionẽ rei. Tũc ſiquidẽ cauſa deſignat᷑ noĩe particulari. quãdo explica
tur noĩe ſingulari. aut ſpeciei ſpecialiſſime. vt hic edificator ⁊ edifi-
cator reſpectu huius domus. Tũc vero inter cauſam ⁊ effectum nõ
multe interiacent cauſe. quando inter ea nõ mediat eiuſdem generis
cauſa vel pauce admodũ. vt inter filiũ ⁊ patrẽ. inter nepotẽ ⁊ auum.
Oppoſito modo diffinit᷑ cauſa remota duabus iditem diſiũctione cõ-
nexis particulis. Exemplũ prime. vt artifex ⁊ operarius cauſe ſunt
remote huius domus. Nam cõmuni noĩe vt generis ſubalterni. aut
generaliſſimi explicant᷑. Exemplũ ſecunde. vt ipſius filij abauus ⁊ at
tauus cauſe ſunt remote. Nam inter ipſas ⁊ effectũ multe in eodem
genere ſcilicet efficientis interiacent cauſe. vtpote pater auus ⁊ pro

auus. ¶ Deinde cauſa per ſe diffinit̄ duabus quidē particulis copu-
latione connexis. quarū prima rei ꝯditionē. Secūda vero rationem
exprimendi cōcernit. vt lucidū eſt cauſa per ſe luminis. Nam cū ſua-
pte natura ordinet̄ ad lumen ꝑducendū. etiā exprimit̄ noīe denotante
rationē ad illū effectū. ita calidū cauſa eſt ꝑ ſe caliditatis. Cauſa vero
ꝑaccidēs eaſdē particulas negatiue ⁊ diſiunctim in ſua ratione com
plectitur. vt calidum cauſa eſt per accidens motus ſurſum. Nam ſu-
apte natura nō ordinat̄ ad illū effectū. Et ambulatio cauſa ꝑaccidēs
inuentionis theſauri. Nō eni exprimitur noīe importāte rationē ad
illū effectū. ¶ Diuidit̄ aūt ꝑ ſubiūcta vocabula cauſa per accidens in
caſum. fortunā ⁊ cauſam per accidens neutrā. De caſu exemplū. vt
ſi lapis cadens deorſum ledat pretereuntē. Ipſe lapis eſt caſus. Naꝫ
eſt cauſa per accidens cū ſuapte natura ad huiuſmodi leſionē nō ſit.
neqꝫ cauſalitatis noīe exprimat̄. eſt preterea eoꝝ que raro cōtingūt.
Nō eni frequent̄ accidit ꝓtereuntē lapide deorſum cadente ledi. Po-
ſtremo eſt alicuius gratia. Nam eſt illius ꝙ ſi precognoſceret̄ dignū
eſſet experi aut euitari. ¶ De fortuna exemplū. vt ſi qs arborem cō
ſcēdat ad decerpendos fructus ⁊ ramo cui innitebat̄ fracto decidat
brachiūqꝫ frangat. Ille eſt fortuna. Nam eſt cauſa per accidens cuꝫ
ad eum effectum non ordinetur. Inſuper eſt agens ſcdm propoſituꝫ
ſiue rationē. Nam ex intentione ⁊ ꝓpoſito arborē cōſcendit. Eſt pre
terea eoꝝ que raro contingunt ⁊ alicuius gratia vtpote illius quod
vbi ꝓſciret̄ dignū eſſet euitari. Idem quoqꝫ eſt caſus per ante dataꝫ
diffinitionē. Nam fortune ratione ſpecialior eſt. caſus vero cōmuni-
or. Et diuidit̄ fortuna. Nam quedā eſt ſors fortuna ſiue bona proſpe
raqꝫ fortuna qua aliquod grande bonū preter intentionem euenit
vt ſi quis efodiens ad plantadā arborē inueniat theſaurū. Quedam
vero eſt mala fortuna qua ingens maluꝫ inopinato accidit. vt ſi qs
equo cui inſidet deiectus grauiter ledatur. Et in diffinitiōe fortune ꝓ
poſitū capit̄ pro ratione ſiue voluntate que cū ſolius ſit hoīs ſol⁹ ho
mo fortuna dici poteſt. Cetera vero aīalia ⁊ etiam inanimata bene
ſunt caſus. Cauſa ꝑ accidens neutra eſt. cauſa per accidens que neqꝫ
caſus neqꝫ fortuna eſt qd nō ſit alicuius gratia neqꝫ aliquid vt expe-
tatur fugiaturqꝫ dignū efficiat. vt pede lapillū mouens inter ambulā
dum aut capillū capite dimouens. Poſtremo diffinitur cauſa in actu
eſſe ea que ſolū ſimul cū effectu exiſtit. vt calefaciens cū calefactione
⁊ edificās cū edificatiōe. Cauſa vero in potentia eſt que nō ſolū ſimul
cū effectu exiſtit. ſed plerūqꝫ eſt. effectu nō exiſtente vt edificator eſſe



poteſt nō exiſtente domꝯ quā extruxit. aut ipſa cauſa nō eſt. effectu ta
men exiſtente. vt interdū nō eſt domificator attamen eſt domus ab
eo cōſtructa. Et cū effectus ad cauſam referat̄ cōſimiliter poteſt diui-
di ⁊ diffiniri ſingula diuiſionū membra ſicut de cauſa dictum eſt. Nā
oppoſitorum eadem eſt diſciplina.

¶ Motus eſt alicuius in aliquo aut aquiſitio aut deperditio.
¶ Dicitur acquiſitio aut deperditio ꝙdiu aliquid rei acquirit̄:
aut deperditur. ¶ Acquiſitio aut deperditio. Actus entis in po
tentia ſecundum q⁹ in potentia: motus: mutatio trāſmutatio.
¶ Generatio eſt ſubſtantialis forme in aliquo acq̄ſitio. ¶ Cor
ruptio vero eius deperditio. ¶ Augmentatio eſt maioris quā-
titatis acquiſitio. ¶ Diminutio eſt a maiore quātitate in quan
titatem minorem mutatio. ¶ Alteratio eſt a qualitatē aut ad
qualitatē mutatio. Cōtrariū: mediuꝫ: habitus. priuatio. ¶ Mu
tatio ſcdm locū eſt ad locū aut circa locū mutatio. ¶ Mutatio
ſcdm locū: motus localis: latio. ¶ Rectus: circularis: mixtus
ſiue neuter. ¶ Id ſubiectiue mutatur quod eſt mutationis ſub-
iectum. Id terminatiue: quod (que acquiritur) forma eſt. ¶ Cō
pletiue vero totū mutatione acquiſitū. ¶ Quapropter forme
ad matereriā mutatio ſubiectiua. Ad ſeipſam terminatiua. ad to
tū mutatio completiua dicit̄. ¶ Id mutatur per ſe qd a motu: q
in eo eſt: mouet̄. ¶ Id per accidens quod nō a motu qui in eo eſt
ſed alterius mouetur. ¶ Motus acquiſitiu⁹ eſt quo aliquid acq̄
ritur. ¶ Deperditiuus quo aliquid deperditur. ¶ Naturalis
eſt cū ei natus eſt conuenire cui ineſt: ¶ Violent⁹ vero q diſcōue-
nit: atqꝫ contra naturam eius eſt. ¶ Indefferens qui ꝓprie neqꝫ
conuenire neqꝫ diſconuenire natus eſt. ¶ Omniū horum motu-
um ex oppoſito intelligimus quietam.
¶ Diffinitur motus eſſe acquiſitio aut deperditio alicuius forme. ſi
ue ſubſtantialis. vt in generatione ⁊ corruptiōe. ſiue accidentalis. vt

in ceteris tranſmutationibꝰ. in aliquo ſubiecto. vtpote materia que
primum eſt tranſmutationum ſubiectum. Dicitur autē acquiſitio ꝙ
diu aliq̄d forme acquirit. eſtqꝫ eiꝰ aliq̄d acquiſitū ⁊ aliq̄d ſupeſt acq̄-
rendū. vt cū totius caliditatis q̄nqꝫ gradus acquiſiti ſunt ⁊ q̄nqꝫ re-
ſtant acquirendi. Sic dicit deperditio ꝙdiu aliquid forme. cuius eſt
motus deperdit. eſtqꝫ aliquid eius deperditū ⁊ aliq̄d relinquit deper
dendū. vt cū totius caliditatis ſex gradus deperditi ſunt ⁊ quattu-
or adhuc ſunt abiciendi. Ex quibus cōſtat idem eſſe acquiſitionē aut
depditionē. ac ſi quis dixerit. actus entis in potentia ſcd̄m ꝙ in potē
tia que ſunt verba diffinitionis motus ab ariſtotele tradite. eiuſdē
ſane ſententie cū diffinitione modo data. Nam qđ hic dicit acq̄ſitio
aut perditio alicuius. illic dicit actus in potentia ſcd̄m ꝙ in potentia
Et qđ hic dicit in aliquo. illic denotat per genitiuū entis deſignantē
ſubiectū in quo eſt motus. Vocat aūt motus alio noīe mutatio ſiue
tranſmutatio. ¶ Deinde ſex motus ſpecies diffiniunt. Et p̄mo gene
ratio qđ eſt forma ſubſtantialis in aliquo ſcilicet materia : acquiſitio
vt generatio ignis ē acq̄ſitio forme ignis ī materia Corruptio ē for
me ſubſtantialis in materia deperditio. vt corruptio ligni eſt deper-
ditio ⁊ abiectio forme ligni a ſua materia in qua prius fuit. ¶ Au-
gmentatio eſt maioris quantitatis vt magnitudinis. extenſioniſqꝫ
in aliquo acquiſitio. vt cū quid pedale ꝑ alimēti ſuſceptionē aut rare
factionē fit bipedale. Diminutio ꝟo eſt a maiori mobile in minorem
mutatio. vt cum quippiā pipedale per deſluxum partiū aut condenſa
tionē fit pedale. ¶ Alteratio ꝟo aut mutatio eſt a qualitate ſolū. vt
cū ex luminoſo fit tenebroſum. Aut ad qualitatē ſolū. vt cū contra ex
tenebroſo fit luminoſum. aut ſimul a qualitate ⁊ ad qualitatē. vt cū
ex calido fit frigidū. ¶ Et ſunt alterationis ſex modi his quattuor
dictionibus. Cōtrariū. mediū. habitus. priuatio deſignati. Primꝰ eſt
de cōtrario in cōtrariū. ſiue de extremo in extremū. vt cū ex albo fit
nigrū. Secundus de cōtrario atqꝫ extremo in mediū. vt cū ex albo
fit flauū. Tercius de medio in cōtrariū ſiue extremū. vt cū ex flauo
fit albū. Quartus ꝟo de medio in mediū. vt cū ex flauo fit rubeum.
Quintus ex habitu in priuationem. vt cum ex luminoſo fit tenebro-
ſum. Sextus ex priuatione in habitum. vt cum ex tenebroſo fit lu-
minoſum. Mutatio ſcd̄m locū aut eſt mutatio ad locum. vt motus
ignis ſurſum. ⁊ terre deorſum. ⁊ ceteri motus rerū naturalium recti.
aut eſt mutatio circa locū aut ꝓpriū. vt motus circularis ſperarum
inferioꝝ. aut circa loca corpoꝝ inferioꝝ. vt motus circularis vltime



ſpere que ꝓpriū circa quē moueat locū nō habet. Et mutatio ſcd̄m
locū dicit alio noīe motus localis ⁊ etiā latio. Et triplex eſt vt deſi-
gnant dictiōes ſubiuncte. ſcilicet motus localis rectus. q̄ fit ſcd̄m ſpa
ciū rectū vt motus grauiū ⁊ leuiū. Circularis qui fit ſcd̄m ſpacium
circulare vt motus orbiū celeſtiū. Et mixtus qui fit partim ſcd̄m re-
ctum ⁊ partim ſcd̄m circulū. vt volatus auiū. Dicit aūt huiuſmodi
motus mixtus quo aliq̄d vtriuſqꝫ ⁊ recti ſcilicet ⁊ circularis partici-
pet. Dicit etiā neuter ꝙ neqꝫ ſimpliciter rectus. neqꝫ ſimpliciter circu
laris ſit. ¶ Poſtea cetera per que motus ante diuidebatur membra
diffiniuntur. Et primo quid ſit mutari ſubiectiue. terminatiue ⁊ cō-
pletiue. Siquidē id mutat ſubiectiue qđ eſt mutationis ſubiectū pri
mū quidē ⁊ incōpletū. vt materia que ſi generationis ſubiectum eſt.
dicitur generari ſubiectiue ſi corruptiōis. corrumpi ſubiectiue. ⁊ ita
de alijs ſpeciebus. Id vero mutatur terminatiue quod eſt forma que
acquiritur aut deperditur. vt forma ſubſtantialis que per generatio
nem acquiritur generat terminatiue. ⁊ que per corruptionē deperdit
corrumpit determinatiue. Et quantitas maior que per augmenta-
tionem acquirit auget terminatiue. ⁊ ita de alijs. Nēpe re ipſa motꝰ
nihil aliud eſt ꝙ ip̄a forma vel ſubſtantialis vel accidentaria. que ꝑ
motū acquiritur aut aboletur. Completiue vero id mutat qđ eſt to-
tū cōpoſitū. corpuſqꝫ naturale per mutationē acquiſitū aut deperdi-
tum. vt totus ignis qui per generationē acquiritur generat comple
tiue. Et tota aqua que per corruptionem deperditur corrumpit com
pletiue. ⁊ tota arbor que ex quantitate bicubita fit tetracubita. au-
getur completiue. ⁊ ita iñ alijs. Quo fit vt hec tria noīe cōcreto atqꝫ
denominatiuo explicata reipſa inter ſe differant etiam ſpecie. Nam
quod mutat ſubiectiue non mutatur terminatiue nec cōpletiue. Si-
cut ſubiectum non eſt forma neqꝫ totū completum. Tamen denomi
nantia abſtractaqꝫ re ipſa idem ſunt ⁊ ſola ratione diſſident. nam for
me mutatio ad materiā comparata dicit mutatio ſubiectiua. id eſt
ſubiecti ⁊ que eſt in ſubiecto. Eadē comparata ad ip̄am formā dicit
mutatio terminatiua. id eſt que eſt ip̄e terminus ⁊ forma. Compara-
ta ꝟo ad totū dicit mutatio completiua. id eſt ip̄ius completi ⁊ totiꝰ
cōpoſiti. ¶ Deinde diffiniunt mutari per ſe ⁊ per accidens. id quidē
mutat per ſe quod mouet a motu qui in eo eſt vt ſubiecto. aut primo
cuiuſmodi eſt materia. aut ſecūdario. cuiuſmodi eſt totū compoſitū
qđ gratia alterius partis ſcilicet materie tranſmutatiōis ſubiectum
dicit: vt materia in qua acquirit forma ignis. per ſe generat. totꝰ etiā

ignis qui aquirit̃ ꝑ ſe generat̃ ꝗa mutat̃ eo motu ꝗ̃ eſt in ipo vt ſubie-
cto. Id vero mutat̃ per accidens qꝺ nõ a motu qui in eo eſt vt ſubie-
cto mouet̃. ſed motu alterius ⁊ qui eſt in altero. vt cũ lapis cadit de-
oꝛſum foꝛma lapidis eius magnitudo coloꝛ ⁊ frigiditas etiã per ac-
cidens mouent̃ deoꝛſum. nõ quidẽ motu qui ſit in ipſis. ſed in mate-
ria lapidis. cui etiã inſunt. Et quieſcens in naui per accidens mouet̃
ad motũ nauis. qua continet̃. ⸿ De motu acquiſitiuo exemplũ vt ge
neratio ignis. nam per eã aliquid ſcilicet foꝛma ignis acquirit̃. Simi
liter augmentatio arboꝛis. Per eam eñ aliqꝺ ſcilicet maioꝛ quanti-
tas acquiritur. De motu deperditiuo. vt coꝛruptio ignis. Quippe ꝑ
eã aliquid ſcilicet per foꝛmã ignis deperditur. Et decalefactio aque
id eſt deperditio caliditatis in aqua. Preterea dat̃ motus qui ſimul
eſt acquiſitiuus ⁊ deperditiuus collatione facta ad diuerſa. vt ſana-
tio ⁊ motus localis acquiſitiuus eſt partiũ poſterioꝝ ⁊ deperditiuꝰ
partiũ pꝛioꝝ. que facte nõ manent. ſed depereunt. Perinde atqꝫ ſi ꝗs
continue pꝛotrahat lineã in directũ. ⁊ partes illius deſcriptas cõti-
nue deleat. cõſiderando partes que incõtinuũ cõſcribunt̃. ille motus
acquiſitiuus diceret̃. ſed attendendo eas que abolent̃ atqꝫ oblitterã-
tur diceretur deperditiuus. ⸿ De motu naturali exemplũ. vt motꝰ
terre aut lapis deoꝛſum. Nam is natus eſt terre aut lapidi conueni-
re. Motus vero terre ſurſum violentus eſt. ꝗa ei diſcõuenit. atqꝫ cõ-
tra naturã eius eſt. De motu indifferente. vt cũ leue ſurſuꝫ effertur. ⁊
offendens obſtaculũ mouet̃ ad latus. ille motus neqꝫ omnino conue-
nit leui. ꝗa nõ eſt ad locũ ſurſum. neqꝫ omnino diſconuenit. ꝗa non eſt
ad locum deoꝛſum. ſed quodammodo inter vtrũqꝫ medius eſt. ⸿ Et
quia vnum oppoſitoꝝ per alterum cognoſcit̃. Motus autẽ ⁊ quies
ad inuicẽ ſint priuatiue oppoſita. Idcirco per ea que de motu dicta
ſunt. facile natura quietis cognoſcit̃. Eſt eñ quies. in ſubiecto nato
motus priuatio. cum ſcilicet ſubiectum nõ mouet̃. quando vbi ⁊ quo
modo moueri natũ eſt. Et per conſimilia penitus membꝛa diuiditur
Diffiniturqꝫ confoꝛmiter ſicut motus.
⸿ Infinitũ pꝛimo: nõ finitũ: nõ quantũ. ⸿ Secundo quantũ
tranſitum habens incõſumabilem. ⸿ Magnitudo: multitudo.
⸿ Infinitũ magnitudine eſt: quod ſue magnitudinis caret extre
mis. ⸿ Infinitũ multitudine quod ſue quidem diſcrete multitu
dinis caret extremis. ⸿ Infinitum ſecundo: infinitum actu.


⸿ Tercio eſt ſpaciũ (cuiꝰ cũ pars trãſita ſit) nõ dum totum eſt ꝑ
tranſitũ. ⸿ Quarto eſt qꝺ cum ſit tranſibile difficilem habet
tranſitũ. ⸿ Quinto infinitũ eſt cui ſemper additio ſubſtractio-
ne fieri poteſt. ⸿ Additio: ſubtractio. ⸿ Subſtractio diuiſio
idem. ⸿ Infinitum quinto: infinitum potentia.
⸿ Infinitũ in pꝛima acceptione eſt qꝺ nõ habet quantitatẽ. aut conti-
nuã vt punctũ. aut diſcretã vt vnitas. Dictũ infinitũ quaſi nõ finitũ
⁊ nõ quantũ. ⸿ In ſecũda vero acceptione eſt quantũ habens tran-
ſitũ. ſed incõſumabilem. Dicit̃ aũt tranſitus incõſumabilis extẽſio
aut pluralitas. que ſemper ſummendo partes eiuſdem ⁊ determina-
te quantitatis nunqꝫ abſolui ⁊ finiri poteſt. Ut ſi daretur linea a qua
ſumptis continue pedalibus eius nõ poſſet tota longitudo abſumi
aut numerus a quo dempto ſemꝑ binario. alioue determinato nume-
ro nõ poſſet ad eius finẽ quiſpiã peruenire. ea linea ⁊ is numerus eſ-
ſet hoc modo infinitus. Et diuidit̃ hoc modo infinitũ in infinitũ ma-
gnitudine ⁊ multitudine. Queadmodũ deſignant due dictiones eiꝰ
diffinitioni ſubiuncte. De infinito magnitudine. vt linea que ſue extẽ-
ſionis nec pꝛincipiũ haberet nec finem. vtrinqꝫ in immenſuꝫ poꝛrecta
ea eñ ſue longitudinis careret extremis ⁊ partibilibus. naꝫ neqꝫ pꝛi-
mam haberet pedalem. neqꝫ vltimã. ⁊ impartibilibus. ꝗa non habe-
ret punctũ inicians neqꝫ finiens quibus clauderetur. Ita ſuperficies
ſue longitudinis ⁊ coꝛpus ſue pꝛofunditatis extrema ⁊ partibilia et
impartibilia nõ habens eſt hoc modo infinitũ. De infinito multitu-
dine exemplũ. Ut ſi ſumat̃ numerus cuius neqꝫ pꝛima poſſet dari vni-
tas neqꝫ vltima. Similiter neqꝫ pꝛimus binariꝰ aut alius certe mul-
titudinis numerus neqꝫ vltimus. is careret ſue multitudinis diſcre-
te. qꝺ conſulto adiectũ eſt ad excludendã multitudinẽ cõtinuã partiũ
continui. extremis ⁊ partibilibꝰ quidẽ ⁊ impartibilibus. eſſetqꝫ hoc
modo infinitus. ⸿ De infinito tercio exemplũ. vt via cuius. medie-
tas peracta eſt ⁊ alia ſupereſt peragenda eſt infinita in tercia acce-
ptione. Et numerus cuius pars numerata eſt. ⁊ reſtat altera pars
numerãda. eodẽ quoqꝫ modo infinitꝰ eſt. ⸿ De infinito quarto. vt to-
tũ ſpaciũ inter oꝛientẽ ⁊ occidentẽ interceptũ. pertranſibile quidem
eſt. ſed difficilẽ habet tranſitũ. Et numerus harenarũ maris. aut ca-
pilloꝝ capitis numerabilis eſt. ſed difficilis eſt ea numeratio. ⸿ De
infinito quĩto exemplũ. vt magnitudo ⁊ quoduis continuũ. nã ei ſem-
per poteſt fieri ſubſtractio: id eſt diuiſio in minoꝛes partes. neqꝫ vnqꝫ

per talē diuiſionē peruenieť a partes impartibiles. Similiter nume
rus cōſurgens ex diuiſione partiū cōtinui eſt hoc modo infinit⁹. qa
ei ſemꝑ fieri poteſt additio Quātū eñ decreſcit magnitudo tātū cre
ſcit partiū eius multitudo. Neqꝫ vnqꝫ ad maximū numeroꝝ cui vlte-
rius additio fieri nō poſſet ꝑuenire poſſibile eſt ¶ Et diuidiť. vt ſub
iūcte dictōes deſignāt. in infinitū quarto additiōe cui ſcꝫ ſemꝑ addi
tio fieri poteſt. cuiuſmodi eſt numerus. Et infinitū quinto ſubtracti-
one. cuius ſemꝑ ſubtractio diuiſioqꝫ fieri poteſt. cuiuſmodi eſt magni
tudo. Quibus terciū membrū ex vtroqꝫ cōpoſitū adiungi poteſt. ſci
licet infinitū additione ꝛ ſubtractione. vt partes continui qbus ſem
per ſubtractio magnitudinis fieri poteſt. ex quo earū ſemꝑ multitu-
do creſcit. ꝛ cōtinue aliquid adijciť. Autores aūt ꝑ membra ſimpli-
cia intelligunt cōpoſita. Et infinitū qnto diciť infinitū potentia. In
finitū ꝟo ſecundo. infinitū actu.

¶ Locus eſt extrinſecus terminus corporis alterum continen
tis. ¶ Locus cōmunis eſt qui multa continet quib⁹ immediat⁹
nō eſt. ¶ Locus proprius eſt terminus corporis continentis cō
tento immediatus. ¶ Terminus: ſuperficies: concaua. ¶ Ea
ꝟo concaua eſt que eſt continentis interior vltima. ¶ Et ea cō
uexa eſt que eſt corporis circūdans extrema. ¶ Locus natura-
lis eſt in quo res naturales: natura quieſcunt. ¶ In eo eñ natu
ra quieſcunt in quo conſeruari nate ſunt. ¶ Violentus: in quo
res naturalis minime natura quieſcit.

¶ Diffiniť locus eſſe terminus ſuperficieſqꝫ concaua corporis conti-
nentis alterū. vtpote locatū. Extrinſecus nō quidē corpori locanti.
quia ei ineſt vt ſuo ſubiecto. ſed ipi corpori locato. Reſpectu cuius di
ciť loc⁹ Nō eſt eñ loc⁹ i locato. aut vt pars ei⁹. aut accidēs. cū poſſit
ab eo ſeparari ꝛ ſeparat⁹ permanere Corp⁹ tamen locatū diciť eſſe
in loco denominatione extrinſeca. Queādmodū pannus menſurat⁹
ab vlna. nō que ſit in panno. ſed ei extrinſeca. vt ſuperficies ſcilicet cō
caua dolij continentis vinū eſt locus vini. qa eſt terminus dolij cōti
nentis alterū corp⁹. ipſi corpori ꝯtēto extrinſec⁹. ¶ De loco cōmu-
ni exemplū. vt concauū celi lune ad aerem. aquā ꝛ terrā. locus eſt cō
munis. Nam illa cōtinet corpa quibus nō eſt immediatū. cū int͛ ipa
eſt cōcauū lune, aliud corpus ſcilicet ignis et interiaceat. De loco pro



prio. vt cōcauū celi lune ad ignē. Nam eſt terminus ipſius celi lune
ignē cōtinentis. igni cōtento immediatus. cū inter ſuꝑficiē celi lune
concauā ꝛ ignē nullū aliud intermediet corpus. Et in diffinitione lo-
ci termin⁹ nō pro quacūqꝫ corpis ſuꝑficie ſummiť. ſed dūtaxat ꝓ ſuꝑ-
ficie concaua ¶ Siquidē duplex eſt extrema ſuperficies ſcilicet con-
caua. que interior eſt corporis continentis ſuꝑficies ꝛ vltima. Nem-
pe vltra eam nulla eſt illi⁹ corporis interior ſuꝑficies. vt intima do-
lij aut vitri. alteriuſue corporis continentis ſuꝑficies. Et hec dicta
eſt eſſe locus. ꝛ ſcd̄m eā vnū corpus cōtinet alterū. Alia eſt ſuꝑficies
cōuexa ꝛ eſt exterior corporis ſuꝑficies ꝛ vltima. cū vltra eam nulla
ſit alia exterior eiuſdē corporis ſuꝑficies. vt extrema ſuperficies ter-
re tangentis aquā aut aerem. extrema aeris tangentis ignē. Et int͛
exteriores vltima ignis ſuꝑficies tangentis celū lune. ꝛ iſta nō eſt lo
cus. qa ſcd̄m eā corpus nō cōtinet: ſed potius ab altero cōtineť. Ex-
cepto ſolū vltima ſphera. que nullū habet aliud corpus ſupra ſe Quo
fit vt om̄e corpus habens ſuꝑficiē ꝯcauā. habeat itidem ꝯuexā qua
clauditur vt termino intrinſeco. ꝛ qua tangit corpus ipſum cōtinēs
ſi modo habeat. queādmodū inferiores ſphere celeſtes Nō tñ quicqđ
habet ſuꝑficiē cōuexam habet concauā. vt terra ꝛ cetera corpa que
continenť ſolū ꝛ continent. ¶ De loco naturali exemplū. vt cōcauū
aeris hoīem cōtinens eſt locus eius naturalis. ꝛ concauū aque ad pi
ſcem. De loco violente vt concauū aque ad pi
Nam neqꝫ homo in aqua ad hoīem ꝛ aeris ad piſcem
eſt.
neqꝫ homo in aqua homo. neqꝫ in aere piſcis conſeruari natus

¶ Vacuum primo eſt locus nō repletus corpore: natus repleri
¶ Cū eñ inter ſuperficiei latera nō interiacet corpus quādo in
teriacere natū eſſet: ea ſuperficies vacua diceret. ¶ Vacuū pri
mo: vacuū priuatione. ¶ Vacuū ſecundo eſt dimenſio om̄ia in-
tra ſe corpora nō cedendo recipiens. ¶ Vacuū ſecundo: ſpaciū
ſeparatū. ¶ Tercio eſt qđ corporibus immerſum plenū non eſt.
¶ Priuatio: ſpacium.

¶ Tres iſte diffiniciones vacui nō rei naturā explicant. Cū natura
nō ſit natū eſſe vacuū. ſed cōuertibilē nois rationē inſinuant. De va
cuo primo exemplū. vt ſi aqua vitro contento effundať. nullo alio vi-
trū ſubeunte corpe. cū ipa eſſet penitus effuſa ſuperficies cōcaua vi-
tri eſt vacuū pmo: Nam ipa eſt locus nō repletus corpe. cū nullū in-

era ſe per hypoteſim corpus cõtineat. Natus tamẽ corpe repleri Na
ſuapte natura nata eſt aliquod corpus cõtinere. cũ oĩa corpa nata
ſint proximũ corpus tangere quo excludat vacuũ. qđ ſumopere na
tura abhorret. ¶ De ſupficie vacua exemplũ. vt ſi intra concaui celi
lune latera nõ interiaceret corpus oĩbus ſcilicet ab ipo remotis. cuꝫ
tamen natũ eſſet interiacere. cõcauũ celi lune ſupficies vacua dicere
tur ⁊ vacuũ pmo. Unde conſtat vacuũ pmo nõ capi pro medio illo
inter hiante ſpacio intra lune ſuperficiei concaue remoto omni cor
pore cõcepto. ſed ſolũ pro ſupficie cõcaua corpis nõ cõtinente aliqđ
corpus. Et vacuũ pmo dicit etiã vacuum priuatiõe. q̄ loci priuatio
nem deſignat. ¶ De vacuo ſecũdo exemplũ. vt ſi eſſet dimenſio p to
tũ mũdũ. quẽadmodũ ponebãt aliq̄ antiquoꝝ. extẽſa oĩa itra ſe cor
pora nõ cedendo ſuſcipiens. ⁊ illius tanta moles eſſet cũ corpe in ſe
recepto quanta eſſet corpis in eo cõtenti magnitudo. vt in corpore bi
cubico illius dimenſionis magnitudo bicubita. ⁊ in tricubito tricu
bita moli corporis contenti omnino reſpondens illa dimenſio eſſet
vacuũ ſecundo. Verũ nulla talis eſſe poteſt. q̄ natura maxime re
fugit penetrationẽ dimenſionũ corporũq; occupationẽ. ad quã pror
ſus excludenda corpa ſibiinuicẽ cedũt. ⁊ vno locũ aliquẽ ſubeũte. alte
rũ prius eo loco contentũ exit egrediturq;. neq; vnũ alteri9 dimen
ſiones ſubit atq; ſubintrat. vt aqua cedit lapidi ⁊ aer hoi. Nõ ſi alte
ro corpe ſcđm cõſimilẽ ſitũ adueniẽte pmũ nõ exiret loco ſuo neq; di
uideret. ſed eundẽ penitus cũ ſecũdo. ⁊ ſecũduꝫ cũ pmo ſitũ haberet.
neq; plus duoꝝ q̄ vni9 dimenſio ſpacij oppleret. illa corpa nõ cederẽt
ſed ſe penetrarent atq; occuparent. Et dicit vacuũ ſecũdo: alio noie
ſpaciũ ſeparatũ. qđ a ſubſtãtia rerũ q̄bus cõiungit ſeparatũ ſit atq;
ſemotũ. ¶ Vacuũ tercio duas pmas vacui acceptiões cõplectit. Et
ideo eſt duplex. ſcilicet vacuũ tercio puatiõe. Et eſt parua quedã cõ
cauitas q̄ corpib9 immerſa plena nõ ẽ. nata tamen repleri. quomodo
antiqui poſuerũt parua quedã vacua corporib9 animatis inſita in qui
bus alimentũ ſuſciperẽt. Aliud eſt vacuũ tercio ſpacio. Et eſt parua
quedã dimenſio corporibus immerſa ipſaq; nõ cedendo recipiens.
vt nõnulli nolentes concedeere vacua huiuſmodi concauitates po
ſuerunt exiguas dimenſiones corporibus immerſas. que nõ ceden
tes alimentum ſuſciperent. eiq; coniungerent.

¶ Tempus eſt numerus primi motus ſcđm prius ⁊ poſterius.
¶ Primus motus is eſt qui eſt primi mobilis. ¶ Mobilia hoc



ordine ſunt ſita: terra: aqua: aer: ignis: celũ: lune: mercurij: vene
ris: ſolis: martis: iouis: ſaturni: firmamentũ: primum mobile.
¶ Preſens primo eſt impartibile: preteritum futuro connectẽs
¶ Preſens: nunc inſtans: adiacens. ¶ Secundo eſt tempus
vtrinq; adiecto impartibili nõ multum diſtans. ¶ Preſens: nũc
¶ Preteritum eſt temporis pars prior. futurũ vo pars poſteri
or. ¶ Eſſe in tempore eſt menſurari tempore. ¶ Ea vo menſu
rantur tempore: quorum tempus duratio eſt: aut que incipiunt ⁊
deſinunt in tempore.

¶ Diffinitur tempus eſſe numerus. nõ quidem numerans. ſed nume
ratus. hoc eſt partes ipſe numerate ⁊ ſcđm aliquem numerum appre
henſe ipſius primi motus ſcđm prius ⁊ poſterius ſumpte. id eſt ſcđm
ſucceſſionẽ. qua vna pars temporis eſt prior ⁊ nõ permanens cũ po
ſteriori. altera vo poſterior. ⁊ priore preterita cõtinue ſuccedens. vt
annus eſt numerus. 365. dierũ ſibiinuicẽ ſuccedentiũ. Et dies nume
rus vigintiquattuor horarũ ſcđm prius ⁊ poſterius ſumptarũ. Ho
ra vo numerus ſexaginta minutorum. quoꝝ vnũ habet prius durati
onem. ⁊ aliud poſterius ei ſuccedit. Et in hac temporis diffinitione
primus motus dicitur mot9 circularis. qui eſt primi mobilis. ſupre
meq; ſphere. nã ſole partes illi9 mot9 ſcđm prius ⁊ poſteri9 ſumpte di
cuntur tempus: ⁊ nõ partes ſperarũ inferiorum aut rerũ naturalium
¶ Mobilia autem nõ quolibet motu. ſed eo qui ſcđm locũ eſt. nam is
ſolus celo conuenit. hoc ordine ſunt ſita. ab infimo ad ſupremum. ⁊ a
proximis nobis ad remotiora conſcendendo primo quattuor elemen
ta que mouentur motu recto. ſcilicet terra. aqua. aer ⁊ ignis. Deinde
ſeptem orbes planetarũ. quoꝝ inferiores ſuperioꝝ ambitu continen
tur. ſcilicet celũ. lune. celũ mercurij. veneris. ſolis. martis. iouis. ſa
turni. Cui proxime ſupereminet firmamentũ ſtellis fixis ⁊ quidem
plurimis ornatũ. Poſtremo primũ mobile omniũ eſt ſupremũ. cetera
que ſuo claudit ambitu. ⁊ omnes celeſtes orbes circũferuntur motu
circulari. ¶ Deinde ſubnectuntur ipſius preſentis due acceptiones
In prima acceptione preſens eſt impartibile ſcđm ſucceſſionem. par
tẽ tpis preteritã future connectens. vt ſit tota preſens hora a b. cu
ius medietas ſit preterita ⁊ medietas futura. coniunganturq; ad in
uicẽ per inſtans c. tale inſtans eſt preſens primo. quia eſt impartibile

temporis connectens preteritum a c ipſi futuro b c. Perinde autem
linea a b c. punctū c eſt extremū ⁊ impartibile ſcōm extenſionem con
iungens priorem partē linee ſcilicet a c parti poſteriori c b. Et quē
admodū in philoſophia naturali ſupponendū eſt pūctū eſſe. prorſus
indiuiſibile ſcōm magnitudinē. nullaſq; dimenſionis partes habere.
Alioquin nō poſſit eſſe linee vltimū. Ita quoq; ſupponendū eſt ⁊ pͥn
cipij loco habendū inſtans eſſe impartibile ſcōm ſucceſſionē. nullaſq;
durationis partes habere. Alioquin temporis extremū eſſe nō poſſet
Et preſens in ea acceptione dicit̄ alio noīe nunc primo. ſiue inſtans
adiacens quod poſtremū adiectū eſt ad excludenda inſtantia conuin
gentia partes temporis preteriti inter ſe. aut temporis futuri que nō
ſunt preſentia primo. quia non adiacent nobis nec adſunt. ſiquidem
eſſe preſens primo eſt inſtans. ſed non omne inſtans eſt preſens pri
mo. ¶ Preſens ſecundo eſt tēpus vtrinq; a dicto impartibili diſtans
nō tamen multū diſtat qdē vtrinq; temp⁹ quando eius vna pars pre
cedit inſtans adiacens. et altera ſequitur. Quare totum tempus p̄
cedēs inſtans adiacēs. ſiue p̄ſens primo aut totū tempus ſequens
non eſt preſens ſecundo. quia neutrum vtrinq; iacet. ſed ſolum alte
ra ex parte. Tunc vō nō multū diſtat tempus vtrinq; iacens quādo
vtraq; eius pars ⁊ precedens ſcilicet ⁊ ſequens eſt propinqua inſtan
ti. vt preterite partis principiū nō longo interuallo ſemmoueatur a
predicto inſtanti. nec future partis finis. Quare totus annus aut qn
quenniū. aut decenniū nō eſt hoc modo tempus preſens. quia ei⁹ par
tes ad inſtans nobis adiacens comparate multo interſtitio ab eo di
ſtant. ſed hora aut dies recte dicit̄ ſcōm hanc acceptionē preſens cū
ſit tp̄s vtrinq; ab inſtāti adiacēte nō multū diſtās ¶ Deinde diffinit
preteritum eſſe temporis pars prior. ⁊ que exacta eſt. que ſi nō mul
tum a preſente primo diſtat dicit̄ preteritū actu. ⁊ temporis preſen
tis eſt pars vt hore preſentis mediatas que pertrāſijt. Si vō multū
diſtat ab impartibili nobis adiacente dicit̄ preteritū potentia. ⁊ nō
eſt pars temporis preſentis. Futurū vō eſt tp̄is pars poſterior. ⁊ q̄
adhuc ventura eſt. Et ea ſi parū diſtat ab adiacente inpartibili dicit̄
futurū actu. eſt que pars temporis preſentis. Si vero multū ab eo di
ſtat eſt futurū potētia ⁊ nō pars tp̄is p̄ſentis. At qa omī rei naturali
cōuenit eſſe in tempore. Quid ſit rem eſſe in tempore poſtea docebit̄
Eſt eñ eā mēſurari in tempore. aut vt menſura intrinſeca quemad
modum primum mobile. in quo eſt tempus vt ſuo ſubiecto. aut vt
vt menſura extrinſeca ſicut ſphere celeſtes inferiores ⁊ res natura



les oīnes in quibus nō eſt tempus vt ſubiectū. Perinde atq; vlna mē
ſuratur ſua magnitudine vt menſura intrinſeca. Pannus vō ab eadē
dicit̄ menſurare vt menſura extrinſeca. cum vlne extenſio ſit extra
pannū. Et hic quidē menſurat̄ ſcōm extenſionē. Res vō naturales
⁊ ſphere celeſtes ſcōm durationē. Duplicia aūt ſunt que menſurant̄
tempore. Quedā eo menſurant̄ vt menſura equante. quoꝝ ſcilicet to
tum tempus eſt duratio. Et que equā cū toto tempore habent p̄ma
nentiam. vt orbes celeſtes ⁊ rerū naturaliū materia. Et hec ſimilia
ſunt panno equā ipſi vlne extenſionē habenti. Alia vō tempore men
ſuratur vt menſura excedente. que ſcilicet incipiunt ⁊ deſinunt in tē
pore. quēadmodū res naturales ortū in tempore atq; obitum haben
tes. ⁊ quarū duratio toto tempore ꝯtractior alicui tp̄is particule re
ſpōdet Et hec aſſimilāt̄ pāno minorē ⁊ p̄ncipio ⁊ fine extēſionē habē
ti q; vlna ipſm menſurans ſignificant̄ q; per ſcdam diffinitionis parti
culam. alia vō per primā. Et hec littere introductionis ſuccincta bre
uiſq; declaratio huic loco ſufficere viſa eſt. In principio quidem adie
cta quo ipſa introductio ſcōm littere ſeriem vel tranſcurſu intelliga
tur. Anteq; ad primi dyalogi exactiorem ipſius explanationem con
tinentis lectionem accedatur.

Impreſſe ſunt he introductiones in libros phi
ſicorum Ariſtotelis regia in ciuitate Cracoui
enſi. Impenſis ſpectabilis viri dñi Johannis
haller. Anno ſalutis noſtre Milleſimo quingē
teſimo decimo.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA KUL